

HIPP. — Quid profecto moearer? Meam non queror certe fortunam. Ego virtute Deūm et maiorum meorum dives sum satis. Post Lucretiae, uxoris meae, interitum — requiescat! — dulciorii pistoris artem deserui, cum dolore heluorum civitatis singulorum, quorum memoria concelebror; et in agellum hunc sub urbe recessi, ubi in utramvis aurem conquiescere mihi datur, vino et victu probo et electili validam vitam colens, curis omnibus vacuus, sollicitudine studioque septus a puero quodam, nomine Francisculo...

FRANC. — Taceas, quaeso; ne coram in os affatim laudando, me reddas superbum nimis. Quem natura patrem mihi abstulit, tu sublegisti: facere me pro copia et sapientia quae tu velis animumque tuum explere, nihil hoc praeter strictum officium meum semper arbitrabor. Quod si tandem dies dederint...

HIPP. — Oh! dies iam mihi satis dederunt, ut iis multa non ingerenda per me sint mala! Ultra enim uxoris mortem me non mulcarunt. At istis rebus supersedeamus. Pensumne omne fecisti? Verristi aedes?

FRANC. — Singula absolvı; imo et prandium iam est appositum ad Vulcani molestiam.

HIPP. — Do pignus, te mente haud concipere posse, quid in involuero hoc protegam.

FRANC. — In involuero isto... perdiū occultatur. Nonne ariolus fui?

HIPP. — Quinimo te fefellit animus. Est enim pullus Indicus. (*Involucrum explicat*). Mireris quam bene libenter sit cum eo victitandum!

FRANC. — Euge! Quam pingue et adipatum animal! Unde habuisti? Atque certe non vili pretio.

HIPP. — Verum minore nunquam

bene fui dispendio. Audi. Venio in macellum, rogito pisces, indicant caros; agninem, caram; caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia; et eadem vitiosa, quae cassa nuce ac titivillatio non emerem. E foro moestus revertetur, quum obvius mihi occurrit tabellionis euiasdam villicus cum magnifico hoc pullo. — O vere fortunatus — inquam — homo ille, cui huiusmodi esca instruatur! — Poteris ipse tu esse — sic ille — ; cui enim destinabatur, civitatis tabellio hodie Deorum mensa particeps factus est, ad superos heri sub vesperum raptus. Brevi, dato acceptoque pretio, quo vilius nunquam vidi, pullus in mean cecidit proprietatem. Quid tibi videtur huius mercimonii?

FRANC. — Optime quidem rem esse collocatam.

HIPP. — Haec caro assa esse quam elixa solet suavior. Eia, age, in te hononus nunc impositum. (*Concredit ei pullum*).

FRANC. — Convivamne tibi aliquem adduxisti?

HIPP. — Neminem profecto.

FRANC. — Ut igitur solus ingentem hunc pullum edas? Dimidiam partem ad crastinum diem servabo.

HIPP. — Heus, cave id facias! Certus ne sum in fame eras esurire acrius quam hodie? Nonne putas tabellionem illum piguisse quod tamdiu pullum suum alibiliorem fieri passus sit?

FRANC. — Ergo statim voras.

HIPP. — Ita quidem, vorabo.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☈ ☈

MONITUM

Quemadmodum in superiore anno actum est, per hunc Novembris mensis fasciculum, quem speciminis gratia per orbem late diffundimus, subnotationem extraordinariam indicimus pro iis qui ad societatem nostram sint ultra accessuri. Hi profecto ab hodierna die ad expletum annum MCMXVI commentarium habebunt immutato annuae subnotationis pretio, quod est in Italia libell. 9, ubique extra Italianam libell. 12, ante solvendum rectoque tramite mittendum ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Equitem torquatum, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

Qui autem integrum Aliae Romae collectionem sibi cupiat, scilicet a mense Maio MCMXIV ad mensem Decembrem MCMXVI — (supersunt vero eiusdem colle-

ctionis non plura exemplaria) — mittat si in Italia libell. 22; undique extra Italianam libell. 28.

Pecuniae traditio poterit sive per publici cursus mandatum, sive per syngrapham apud aliquam nummariam mensam Romae exigendam; sive etiam per commissiōnem apud extera in Urbe seminaria et collegia, in quibus omnibus clien-tes adnumeramus.

Confidimus fore ut sollicitudini nostrae multorum favor respondeat; eritque vel maxime si qui in societatem nostram adlecti iam sunt, nomina virorum aliquot nobis pro sua humanitate indicare velint, quibus specimen commentarii nostri non sine felici exitu tradere possimus; quod quidem etiam atque etiam eos rogamus.

ALMA ROMA.

De arbitratu inter nationes instituendo

De arbitratu ad cavendas belli ruinas inter nationes instituendo, copiose, quae eius est doctrina et facundia, in hisce paginis vir clarissimus I. Bérthier alias disseruit; (1) liceat hodie Americano ignoto homini in argumento insistere, ut lapidem qualemcumque suum conferat aedificio illi exstruendo, quod, velint nolint, humanitatis progressus tandem aliquando iubebit.

Nonne enim quae obiectiones contra arbitratum adhuc afferuntur, eadem extant quam quibus olim homines tribunalia pro singulis constituta insimulabant? Atque tamen quis hodie ab iisdem deficere cogitaverit? Ex quo coniunctio datur, apud homines vitae vivendae consilia pati immutaciones iuxta rationes quae in eorum intelligentia sensibusque lente perficiuntur; neque probabiles adesse causas existimandi, eum ipsum progressum, qui in singulorum hominum iuribus definiendis triumphavit, insuperabilibus obstaculis offici debere, quominus suo tempore populorum commercio aptetur.

Quod nobis praecessit saeculum quot quantisque conflictationibus occurrit! Veruntamen plura arbitratus feliciter initi exempla vidit; atque controversias vel maximi ponderis per huiusmondi iudicia in perpetuum composita. Ut me in Americanae civitatis meae finibus contineam, memorabo, post foedus an. MDCCXCIV cum Anglia sanctum, in quo plurium quaestionum solutio arbitratui addicebatur, dissensionem quamlibet inter utramque nationem exortam — uno bello excepto, quod an. MDCCXII

gestum est — per arbitrorum sententiam diremptam fuisse, vel per negotiationes recto tramite actas. Recentius, et quaestio de Beringho mari simili ratione definita est; maximum autem in re negotium de Alabama fuit, unde amplissime est comprobatum, posse quidem vel in asperrimis contentioneibus arbitratum fructuose adhiberi: non enim solus timor tum oberat, ne rerum discrimen in graves complexus deducatur, sed etiam de gentilicio utriusque nationis honore consulto agebatur.

Vera, hercle, profiteamur. Potentissimus arbitratui inter nationes instituendo obex, itemque adversus ipsum repugnatio, ex hoc unice pendent, quod, ut in mores inducatur, hypothesis ponenda sit: nationes nempe studio flagrare, ut contentiones suae amice componantur. Quoad huiusmodi sensus desit, difficile quidem optatam metam contingere dabitur, ea adamussim ratione qua codices impedire nequeunt quominus viri duo, ferae suae naturae obsecundantes, ad suas lites dirimendas manus inter se publice conserant. Quae igitur in saevos singulorum hominum instinctus et insipientiam remedia apponimus, religiosam et civilem institutionem, eadem in eorum societatem universam admoveamus; gradatim ita procedentes, ut ratio recurrendi ad arma magis ardua atque immitis cuique in dies videatur et fiat. Si tamen corde uno et anima una ii, quibus insidet potestas, initium operi non dedant, frustra aëra verberamus.

In conventu illo nationum omnium, qui in Americis an. MDCCXC congratus est, nonnulli pacis item atque humanitatis amici rogarunt, ut pro singulis nationum controversiis arbitratus ediceretur, praeter unam; quum scilicet

alterius partis libertas appeteretur: tum incurvatae reipublicae non debitum, sed facultas tantum esset ad arbitros appellandi; invasori, contra, minime licet ab iis sese eximere. Qua quidem cautela hinc iniquae aggressiones vetabantur, inde suae defensionis ius nationibus tueri fas erat. Nonne ex semita facta via erat? Atqui maturitas rei neque dum venerat,... neque heu venit adhuc!

A nonnullis animadversum est, tum solum arbitratum decerni posse, quum arbitrorum collegium nulla iniuriae exceptione obvium sese praestare possit. Verum id pariter de quibusvis iudicibus agendi rationibus dicendum esset. Atque tamen nulli cordato viro in mentem nostris diebus ceciderit, abolenda esse tribunalia et quaestionum solutionem singulorum viribus esse relinquendam, quod in tuto non sit, iudices virtute omni et perfectione undequaque pollere. Prudentia et consilium substituenda omnino vi sunt tum in privatorum tum in humanae societatis necessitudine et commercio; idque vel summi exercituum imperatores senserunt. Grantius, exempli gratia, de arbitratu inter nationes iubendo favorablem sententiam suam manifesto aperuit; Wellingtonus olim declaravit victorem in pugna haud minus pertristem esse quam victum; Shermanus denique hoc de bello quondam retulit iudicium: « Visne scire quid bellum sit? Avernus, sceleratorum nempe sedes et regio, bellum est! »

Quisnam nostrum, qui, infelibus his diebus, rem plus minusve omnes experimur, asserere dubitaverit, clarissimum illum virum a veritate longius aberrasse?

Chicagine, Kal. Octobr. MCMXV.

T. C.

(1) Cfr. an. I, fasc. viii; et an. II, fasc. I.

Defunctionum commemoratio

Quam raptim, nunc primo adveniente frigore, folia decidunt! Et arbores, paulo ante frondibus viridantes, miserum in modum ornamentis suis expoliatae, de rerum fragilitate exemplum exhibit. Qui mox Octobris, quas dicunt, ferias agebant, et laetantes ingenium suum iucundum depromere conabantur, iam iam in urbem, ruribus relictis, introgrediviuntur, et grandiora cogitant atque mente religiosa volunt. Omnes enim eodem cogimur, atque ad mortem prolabimur; ac propterea, pro re nata, vel qui animum ad hilaritatem prouum atque intentum habent, aeterna memorantes, ad necessarios et ad amicos desideratissimos cor elevantes, pro ipsis preces effundunt atque perpetuis saeris Deum enixi ambiunt.

Quam solemnis et immortalis magistra est nobis religio! Ipsa nos docet fratres, parentes, familiares, nuper a nobis eruptos, haud omnes periisse, modo sed in meliora loca translatos, novam agere vitam et bonam ex operibus quae quiske inter vivendum promeruit.

Quae quidem opinio nobis est communis cum antiquissimis gentibus, quibus nondum christiana sapientia luminibus suis effulserat. Et ecce Orpheus, immortalibus carminibus de virorum immortalitate disserens, locum ad animalium purificationem mirifice adsignat, ut se se ad sidera atque ad felicitatem futuram praeparent.

Et Homerus dum meminit sanguine mortuorum animas esse redimendas, quomodo ad salutem eas possint adducere, etiam atque etiam Graecos monet atque hortatur. Dolendum sane, quod populus Romanus qui in multis fuit

aliis gentibus sapiens magister, eiusque religio nota est ac celebris, erga mortuos pauca omnino nobis reliquerit. Poëtae, et in primis Ovidius, paucula de hac re tradiderunt. Attamen prae ceteris Vergilius moestissimo carmine Palinurum memorat queritatem, apud Caietanum litus, quod negata sibi parva pecunia Stygem transnatare nequeat. *Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena!* tristis exclamat poëta, atque in suorum mentem quodammodo revocare nititur.

Et in eodem libro, dum multos claris luminibus luget, hos atque illos desideratos laudibus cumulat, quos Teueri amore prosequerentur et luctu:

*Nec minus interea Misenum in littore Teucri
Flebant et cineri ingrato suprema ferebant.*

Quid dicam amplius? Plato et Aristoteles de mortuorum religione prolixius loquuntur. Et Seneca de filio suo vita functo loquens uxorem solaturus iisdem verbis prope utitur, quae scriptor christiana sapientia afflatus mutuaret: « Quid luges, — ait, — quum ipsum, vitiis suis brevi mundatum, immortali gloria circumfusum videbis? »

Quod vero apud veteres desiderium erat potius, aut poëtarum inventum, in Christianis mortuorum recordatio cultus que statim vero fuit sancta et salutaris. Quae quidem verba, quae olim de suis in acie fratribus amissis Iudas Macchabeus protulit, religio nostra, divino lumine freta, iterum atque iterum inserit atque commendat. Iure itaque meritoque Benedictus XV P. M. primum hoc ipso anno permisit ut quisque saecdos ter posset sacrum confidere in solemnni omnium defunctorum commemoratione ad eorum animas e purgatoriis poenis eruendas. Sic Pater, filiorum suorum recordatus, qui animae suaee prodigi

in diversis terrarum orbis partibus pugnaturi mortem occumbunt, hac lege speravit facilius posse, suis criminibus absolutos, eos ad aeternam beatitatem adsurgere...

SENIOR.

Ad Sanctorum sepulcra⁽¹⁾

Et vitam illam expectamus, quam Deus datus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.
(Tob., II, 18).

Patriam corde fatigor reverenti viam adire,
Ubi, sidus fidei, fulgurat umbris monumentum:
Loca praedulce labellis
Precibusque illa sacrare, unde genus Christicolarum,
Rabidi quod cruciant flagra tyranni, dominatum
Trahit orbe imperitum.
Adeo filius illustrium arenaria Patrum!
Apape eversa diu fragmina lasciviae ad ictum,
(Spolia en sat lacrymosa)
Peredit Romuleae quae impia praecordia gentis:
Caracallae genius, fale meti aptus Libilitae
Mediis sordibus, ampla
Quoquo nunc rudera pallens veluti larva pererrat...
Sine ludo area, xysti sine luxu, exedra multo
Operanti orba popello,
Speciem ardet syriorum sine stillis hypocaustis...
Sedet oppressus, et imbuta crux, in iuga missa,
Tegit haec atria scrutis,
Vitii pondere venalia foedi, modo lapsu
Misere obstructa columnarum. Ovat illic Domitillae
Honor, et fama superstes
Comitum Nerei, Achilleique...; sed heu! spes ruit
[omnis],
Adyto palluit aurum, vacua et simpula deflet
Studio impura sacerdos,
Dea ubi plebe salutaris amat dicier Isis.
Labor est illecebrarum ilia tabi lue edentum,
Malesanae et sitis aurae,
Veterum Religionis Patriaeque haecce ruina!...
Nihili Scipiadum gloria, gentile sepulcrum
Nihili penditur: aures
Potius captat eunitis melos almae philomelae,
Modulis quae Appium iter mulcet epos Numine
[docta].
Placida ceu ratis aura

(1) Metrum ionicum a minori.

Pelagi in regna, feror caelica anhelante Philippo
(Animae una insonat Excelsius! Excelsius! imo,)

Spatia in splendida cryptis
Feror, illum ut capiam, tempora qui recreat, hym-
[num],
Superi et membra chorii laudibus ornata revisam,
Decoris claraque gemmis.

Nec ibi ustrina calent, caeliferae nescia vitae,
Cineres e gremio matris humi nec rapit urna:
Domini in pace quiescunt

Mihi dulcissima Patrum ossa sepulcris revocanda.
Vicibus functa viae corpora mi Macte! loquuntur

Animo, Macte!... Et utrinque
Iter includit, abacta procul hinc nominis umbra,
Uti castris celebratorum, ita rostro inclita moles:
Sacra dis manibus olim

Furiae pabula ventis pepulere. Atque Metellae,
Capite insigne bovis, sorte stat angente sepulcrum,
Lepidae dum aemula lymphae
Teneris Aegeriae labra cachinnis data ludunt
Populo oracula Numae; fremit et Rex cruce victus
Tacito lora quadrigae

Stadio rupta videns... Proh Deum! ut horret
[decor Urbis]

Ita pessum datum, ac si herculeo stipite tusus,
Scelerum massa, ruisset!..

Cor ad illos dominos me revocat sidercae arcis:
Adeo filius illustrium arenaria Patrum,

Ubi pax aurea sensum
Super omnem eminet, ac membra manet gloria,
[quorum]

Animae caelitum praedia amoena obtinuerunt,
Nivea veste columbae,

Deus ex salvifica quas dedit arca paradiso.
Tibi pax! ossa, retro condita sanctos pia in aula,

Loculi aut sede reposta,
Ope dia cor adauctum insolita dicere sentit.

Cora dulcis, iugulo truncata; potens miles in hostes,
Fidei occisus agone:

Rigidis dilaniata unguibus, his fortior, uxor,
Madefit quae roseo filioli arcti imbre papillis;
Gravis annis, posuisse

Pede sub recto apices, in fidei gratiam, honorum
Merito iure superbus; domitae qui unctus in Urbis

Solio Mystra supremo,
Animam pro grege fudit Capitis signa sequutus...

Tibi pax! unanimi roce iterant, Pax tibi! fili,
Foveat te bonus IXΘΥΣ!

Cor ineffabilis accit requies luce beandum,
Obiit quae undique devota nimis corda hypogaeis.

Radios inter, eburnae
Nerius laetitiae sponsus; ad aram ecce minister

Sacra zelans Carolus, pauperis altor; Calasancti,
Pater, et tu renites hic,
Pueros cui moderandi Dominus credit artem.
Vegetis reliquis oscula figo, Patrum ad instar;
Phialas sanguine rubras
Premo o dulce! labellis; humili balsama cordis
Pius effundo sepulcris, decet ut nobile pectus...
Locus hic mi paradise!

THOMAS VIGNAS, S. P.

DE PIORUM HOMINUM SOCIETATE CUI NOMEN A “CRUCE RUBRA”

II.

Aliquot annis postquam ad S. Martinum atque ad Sulpherinum in Insubribus debellatum est, Dunant, clarissimus vir, domo Geneva, in vulgus edidit quae miserrima vidisset de magna pugnatuum clade. Quum enim ipse invisere vellet celeberrimas illas regiones, in quibus tam insolenter atque saeviter hinc inde pugnatum fuerat, ob oculos prope posuit et sauciorum conditionem, qui post diutinos labores expirarant, referentes in vultu quidquid morituri passi fuissent. Eorum imaginem corporumque excidium memorat, lamentationes, vulneratorum sitim, quam pauci essent medici, qui ultiro se mortis periculo obiectarent ut curarent milites, ac propterea maioribus laudibus digni; deinde privatorum civium pietatem recordatur, at simul vestium furta, in captivos saevitias ad mortuorum necem ulciscendam, et vulneratorum in valitudinaria, in privatorum domus et in ipsa templis coacervationem, populorumque terrores ob hostium iterum incurrientium timorem.

In medium quoque atque vividioribus coloribus depingit res plenissimas doloris, quae in nosocomiis occurrerent, famis tormentum sitisque sauciorum, qui in aede omnis generis essent con-

gesti, vulneribus horrendis dilaniati, magnis febribus furentes, sine remediis ac tenuibus filis, noxiae exhalationes, gravis insectorum molestia; atque ad hac qui iniquissima in Deum verba proferrent hominesque contumeliis lacebant.

Verum ad animum quodammodo levandum, narrat aliquot egregia pietatis facinora, nobilesque actiones et grati animi, ac propterea haud dubitavit dicere: «Honor vobis sit Castillionis foeminae ac puellae, quae omnia ferebatis; nihil vos ab opera reiiciebat, nihil vos torquebat, et mentis vestrae modestia omnia sufferebatis, nihil demum repugnantes vel in rerum egestate».

Dum laudibus ipse et privatorum pietatem ad caelum effert, in futurorum bellorum praesagium, quid oporteat aperit, ut omnes simul viribusque coniunctis eo spectent, ut respublicae congerantur fiantque demum nonnulla opera salutis atque curationis, et inter omnes populos auxilia voluntaria imponantur, quo idem possent omnes maximum beneficium reddere. Quum primum haec vox in populos effunditur, magna est hominum commiseratio, et omnes pro viribus animorum crudelitatem incusantes, eo modo student ut aliquantisper communia incommoda atque dolores levant. Quo factum est, ut bonum hoc semen germinaret et in dies cresceret, et tandem nostris gravissimis omnium rerum publicarum temporibus fructus saluberrimos referret. Nonnulla huiusmodi consilia in Academia Pontiana, anno millesimo octingentesimo primo et sexagesimo, Palascianus doctor medicinae egregius in sermone, cui est titulus: «*De sauciis uti neutrīs in bello tractans*» pandit. Haud est e re nostra singulas omnium societatum sententias

in medium ferre, quotque quantasque difficultates offendisset, et qua demum arte atque industria eo omnes spectare niterentur, ut sauciorum commodo aliquando inservirent. Res gravis est et longe nimis ab institutis nostris. Satis sit dicere ipsa nostra aetate hoc, «omnis curae casusque levamen» advenisse. Namque societas Genevensis, quae nomen habet «*A publica utilitate*» ut diversa hominum consilia hac de re referret atque discuteret, consule Moynier, anno MDCCCLXIII comitatum instituit «sauciis in bello curandis adiuvandisque», et post multos arduosque labores id effecit, ut omnia fere impelia in hanc tandem sententiam consentient. Haec enim summa votorum: «Ut certa lege saucii curentur atque in tutum locum recipientur: ut ipsi curatores liberrime omnino munus suum exercere possint, eaque tuto exhibere quae ad rem faciant. Id in una lege nititur, ut sauci eorumque domus in tuto sint, et socii unum signum gerant, quod est *Crux rubra*, unde, uti diximus, et societati nomen.

Hinc religio atque morum humanitas in dies aucta mutuum ardorem conspirantes, quoniam haud potuerunt, uti mens erat, omnia admodum bella e medio tollere, eorum saltem atrocitatem minuere studuerunt; atque adeo mala hominum leviora facta, in sauciorum commodum, admirantibus omnibus, complures extiterunt qui, suis ipsis rebus posthabitatis, in eorum utilitatem, ac propemodum servitium, summa cum laude et adfuerint et adsint.

I. B. F.

◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆
Pascitur in vivis livor post fata quiescit;
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

OVIDIUS.

Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum.⁽¹⁾

*Ennius et sapiens, et fortis, et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant, et somnia Pythagorea.*

Quo pressius adversarios perstringat ac propemodum ad incitas redigat, poëta noster causam per exempla pertractat.

— Vos praedicatis usque ad molestiam adeundum esse ad antiquos, ut sermonem sibi purum quisque usurpet, atque elegantem, et Ennius nobis nobilissimum in exemplum proponitis. Quis vero est iste Ennius, quem vos ad sidera tollitis?

Velim hic vos, adulescentes, consideratis qua arte Horatius ac lepore ter eandem coniunctionem studiose repetit: *Et sapiens et fortis* etc. Quae vis enim inest in ipsis particulis, quibus exultans utitur noster!.. At, at, *latet anguis in herba!* Adsunt critici, seu grammatici, qui Ennius ipsum quod sit levis inculpant, et sese, quasi somnians, cum Homero componere praesumat. Critici autem erant acerrimi iudicii viri, qui ab Augusto instituti recensebant libros in Palatina Biblioteca collocandos.

Somnia Pythagorea... Pythagoram, Crotone natum, inter sapientissimos viros qui olim apud veteres floruerunt, facile adnumerabis. Sed quamvis mira eruditione praeditus atque celeberrimae disciplinae auctor, complures errores protulit, quae deliramenta potius aegrotantium dixeris, quam sapientis doctrinam. Inter quae iure meritoque pones insanum illud inventum quod *metempsychosis* appellatur. Quod ipse gravissime suis auditoribus tradebat, quodque ve-

rissimum adiudicabat, quis extra risum nunc repetere poterit? Hoc enim respuent non modo viri infantesque christiana sapientia enutriti, sed omnes «Romani tollent equites peditesque cachiinos!» Quae quum ita sint, nobili iudicio Quintilianum dixisse aestimo, quum scripsit: «Ennius sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora non tantam habent speciem, quantam religionem».

Hinc iure exclamat Horatius: «*Adeo sanctum est vetus omne poema!*» Acceptamus ad alios, qui antea vel statim post Ennius Romae enituerunt, quorum pauculae reliquiae ad nos pervenerunt. Et primus quidem Naevius ab eo recensetur:

*Naevius in manibus non est et mentibus haeret
Paene recens? Adeo sanctum est vetus omne poema!
Ambigitur quodammodo, uter utro sit prior, aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti,
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro;
Plautus ad exemplar siculi properare Epicharmi,
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens: habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.*

Paucis sane verbis, sed exquisitissimis, poeta narrat de illis qui apud Romanos, mansuetoribus iam moribus imbuti, post punicum bellum primum, quiescentibus rebus, de litteris tandem cogitaverunt. Verum cur illos potissimum memorat qui rem comicam unice pertractarunt? En in promptu responsum habetis. Saeviente enim in urbe peste, scenici ludi sunt primum ab Etruria induci apud Romanos, qui circum erant e proximis urbibus digressi, ut animi civium exhilarentur, atque ad deorum iram placandam.

Et primus est nobis obvius Naevius, natione Campanus, qui facetiarum ple-

(1) Cfr. fasc. VII.

nus et mirae dicacitatis in scribendo, animum appulit ad tragoeidas et satyram. Sed quum acerrime invehetur in principes civitatis, in vincula coniectus est, et postremo, Roma pulsus, Uticae obiit. Naevii scripta, quippe quae memoria tenentur, non leguntur amplius, nec egent litterarum subsidio, tam haerent animis, ut etiamnunc recentia videantur. Hoc quoque passim vatibus satyricis accedit, ut qua tempestate ipsis fraudi sit, quae animo sentiant, libero ore proferre, identidem submissa atque arrepta occasione satyras inter vulgus immittant. Hinc fit, ut paullatim hic atque ille, velato nomine, sed probrose aequalibus optime notus, mordaciter verbis exagitetur, urgeatur atque in honestis morsibus dilaceretur.

Omnia equidem carmina tacite reputuntur, ad mentem revocantur nec tamen in volumen collecta et auctoris nomine evulgantur. Ita fortasse dicendum est de Naevio. Ipse est Ennio antiquior. Cicero in *Bruto* sic Ennium alloquitur: « A Naevio sumpsisti multa, si fateris; vel si negas, surripuisti ». Hoc epigramma, superbiae campanae plenum, ab eo factum traditur :

*Immortales mortales si foret fas flere
Flerent divae Camoenae Naevium poetam.
Itaque postquam est Orci traditus thesauro,
Obliti sunt Romae latina loquier lingua.*

Iuvenes ornatissimi!

*Interdum vulgus rectum videt; est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poetas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat!
Si quedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere credit eos, ignare multa fatetur,
Et sapit et mecum facit et Iove iudicat aequo.
Non equidem insector delendaque carmina Livi
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri
Puleraque et exactis minimum distantia miror.*

Quid vobis videtur de Horatio, qui tam confidenter iamdudum cum Augusto disserit de rebus adeo exiguis ac prope inanibus? Qui eum de parvis retinet, quamvis ipse *tot solus sustineat* in Urbe *negotia, res italas armis tutetur?* Longe tamen alia vobis mens erit atque iudicium si vel tantillum rem perpendere patiamini.

Quum enim Romani primum armis tantummodo populos subegissent et imperio eos regere ac tenaci voluntate dominari vellent, optime quidem senserunt hoc suum consilium difficillime admodum prosequi posse nisi litteris eorum mores emollire coepissent, et lingua victorum dulcissima culta legibusque novis barbarorum animos allucere tentassent. Quo facto, veluti divina virgula excitati, complures undique exstiterunt, qui ingenio ceteris antecellere putarent, fortunam in melius adgredi et litteris sibi nomen aliquod cum muneribus adquirere. Hinc poetae, oratores, historici, qui in urbem quasi ex composito e suis regionibus profecti convenerunt, et doctrinis eam excolere coeperunt, moribus instruere, et Romanam gentium omnium reginam, in sedem quoque sapientiae atque litterarum conversam, parentem merito omnis doctrinae efficere. Et ipse Augustus, qui prudens doctorum viorum fautor adesse ambit munificumque praesidium, quotquot ingenio, sapientia florarent, honesto vultu atque amico in suis ipsis aedibus magnificentissime excipiebat atque benevolenti animo prosequebatur. Ipse saepe saepius, auctoribus Suetonio, Plutarcho, aliisque, scriptores omnes celebiores apud se advocare, atque identidem familiariter, deposita omni dignitatis persona, cum ipsis de litteris graecis romanisque contendere, in eorum voluntatem animumque calli-

dius inquirere, quid melius esset quidve deterius, quid propterea eligendum in scriptis quidque refutandum ediscere, in deliciis habere videbatur.

I. B. FRANCESIA.

(*Ad proximum numerum.*)

DE TIMAVO

*Ad IULIUM T. advocatum,
nunc militum praefectum.*

Si vales bene est; ego valeo.

Gratias ago tibi maximas, quod tam dulces mihi litteras nuper dederis, maioresque in dies habeo, quas aliquando me relaturum esse sperabo, si cito superior atque incolumis ad tuos redieris. Tu ergo ad *Sontium*, ut scribis, aliquot iam mensibus pugnas, atque ad eius ripas iterum atque iterum insolenter, ut verba Caesaris mutuem, atque acriter adversarios vos insequentes, studio ac loci securitate elatos, adgredieris atque superprimis? Quid dicam? Nescio. Plaudo tibi atque commilitonibus, diemque expecto, quo pacem tandem simus gloriose assecuti.

Verum in litteris tuis novissimis nescio forte dixeris an arte, a me postulare videris, quidnam sit hoc flumen, atque utrum antiquis notum fuerit neene, et quo nomine vocaretur, et quibusnam casibus obnoxium. Narrat Livius easibus variis Antenora Troia profugum venisse in intimum maris Adriaci sinum atque ad hoc flumen appulisse. At Vergilius, poëtarum more, qui a finitimus locis multa designant, ut ornatum inde et novarum rerum notionibus suavitatem versibus quaerant, idem narrat. Antenor, eius sententia, praetervectus

est sinum Tergestinum, in quem Timavus immittitur. Hunc autem fluvium, quamquam paullo remotiorem et veterum fortasse poëtarum usu frequentatum, ad situm eumdem declarandum commemorat. Haec verba fortasse ad Augustum defert:

*Et fontem superare Timavi
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum!*

Adeo poëta studiose atque argute adulari consuevit!

« Timavum superat », quatenus classe littora legens, praetervectus erat sinum Tergestinum, de quo eiusque oribus novem aqua prorumpit magno cum fratre, statimque in unum flumen collecta maris speciem refert late agros inundantis. Haec omnia in mentem revocant quod de Eridano scripsit Tassus noster :

*E pare
Che porti guerra e non tributo al mare!
Idem Vergilius in Egloga VIII repetit:
Seu magni superas iam saxa Timari!*

Tute oculis tuis vides, in Carnorum finibus, inter Aquileiam et Tergeste, quum locus sit totus saxeus et scopolosus, et ipse pedibus expertus es, quam salebrosus sit ac difficilis!

Ad hoc flumen quot hostes, tot labentibus saeculis, admiratum est, qui miserrime in Italiam impressionem fecerunt! Per eius fluctus Alarius transiit et paullo post Attila, *flagellum Dei*, qui tot populos miseros reddidit, quot in suis victoriis ei obvii fuere. Infinitus essem si universos tibi nominatim describere vellem, qui hinc inde infensis animis transierunt. Quid dicam et de Carolo imperatore, quem magnum cognomento historia memorat? « Hic, — dixit, — erit imperii terminus », atque primum posuit fundamentum iurisdic-

ctionis sacrae Aquileiae, quae ex Attilae minis resurgere niteretur. Unni postea cum Turcis apud idem flumen fortiter ac diverse decertaverunt. Sub Turcis Timavus et nomen mutavit, namque brevi temporis spatio, nescio qua de causa, cognominatum est: *Flumen Album*. Mox, temporibus nobis propioribus, moestis Timayus vocibus suis Napoleonem, victoriis exultantem adversus Austriacos relatis, salutavit: qui, si in immensum Italorum spem auxit, brevi infeliceiter ad Campoformium obtruncavit. Illic enim pax inter Gallos et Caesarem inita, qua Italiae quies confirmari credebatur, aliarum e contra calamitatum initium fuit. Optime nosti, postquam Austriacos ultra Alpes reiecit, eis ultiro in potestatem dedisse Rempublicam Venetam, quae tunc primum libertatem cum gloria amisit.

Multa et longa est *magni Timari* historia, et magna fuit hominum multitudo, qui omni quoque tempore Italiā petentes, eius forte suavitatis amore adlecti, hac transgressi sunt. Primum Romani, ut exteras gentes subigerent; mox Barbari, ut par pari referrent atque signis infestis, ad atavorum ignominiam lavandam, in laetiores nostras regiones cum furore festinarent. Hi enim suam veterem servitutem redimentes, Italiā sunt adgressi, eamque sub longa atque iniqua custodia obtinuerunt.

Et tu quid istic facis? Tu non modo armis, sed bonis auspiciis dimicas iamdiu, ut in libertatem hoc antiquum Italorum litus vindices, qui ad stirpes iam similes legibus moribusque in unum corpus cum ceteris italicis gentibus feliciter coalescant.

I, decus, i, nostrum, melioribus utere fatis!

Sed in eo sumus ut omnes qui haec

sunt transituri, amorem unice in pectoro gerant, atque in Italianam advenientes, eius virtutes hominumque ingenium admirati, cum nobis amice ac sine invidia de virtute bonisque artibus, ad felicitatem populorum conquirendam contendant.

Tunc quot humanitatis rivuli in omnes italicas partes veluti a fonte manabunt. Haec tempora felicia ut tute ipse videoas diuque perfruaris, etiam atque etiam exopto.

Hic tui omnes valent summaque pietate te desiderant, et diligunt, et colunt. Vale.

Dat. Aug. Taurin. x Kal. Novembr. MCMXV.

SUBALPINUS.

Ingenuarum artium specimina

RESTAURATIO AERARII

(Tabula I. SCIUTI).

Aerarium non vulgo, ut nunc, apud anticos ponebatur pro publica pecunia, sed praecipue locus appellatus est, in quo publicum aes, hoc est publica pecunia recondebatur, servabaturque ad reipublicae usus. Romae aerarium triplex fuit: primum in quo collectum custodiebatur quidquid pecuniae ex variis insignibus victoriis reportatum erat; fuitque institutum post Gallorum irruptionem in Urbem, ut, si quando rursus id bellum incidisset, ea pecunia geri posset. Alterum aerarium erat ex auro vicesimario, scilicet ex vicesima, quam persolvebant ii, qui manumittebantur; et haec ipsa pecunia ad ultimos reipublicae casus servabatur. Aeraria huiusmodi *sanctiora* dicebantur, quod, nisi cogente necessitate aperirentur; tertium contra, ex annua vectigalium pensita-

tione constans, nunquam non apertum erat: non solum enim quidquid ad bellum generales expensas sustinendas necesse esset, sed quod quotidianus reipublicae usus posceret, decernente senatu aut iubente populo, ex eo depromebatur.

Fuere praeterea alia aeraria noraina, ut *militare* ab Augusto conditum propriæ ad sumptibus bellicis occurrentum;

sepulcrorum titulis vetabatur. Haec vero muleta aliquando et aerario Populi Romani, et fisco principis aut collegio cuivis legitime constituto, ut Vestalibus, solvi deernebatur.

Haec minora, ut ita dicam, aeraria lapsu temporis sublata sunt: tria illa, e contrario, semper mansere, singulaque distinctis cellis, sed uno eodem-



RESTAURATIO AERARII. — (Tabula I. SCIUTI).

Iunonis Lucinae ad servandam pecuniam collatam pro natis infantibus; *aerarium Veneris Libitinae* pro defunctis; *aerarium iuuentutis* pro iis qui virilem togam sumerent, quos Tullus certam pecuniam tunc solvere iussit. Aerarium denique dicta est etiam arca illa pontificum, in quam plerumque pecunia inferebatur, poenae nomine ab iis soluta, qui sepulera vel donarent, vel alienarent, vel eorum religionem quocumque alio modo polluerent; quod legibus, et inscriptis

que loco, in templo Saturni, ubi recondebantur etiam leges perlatae et aeneis tabulis incisae, quae, semel repositae, nec mutari nec abrogari poterant, nisi per aliam novam legem. Item senatus consulta, ceteraque acta a senatu promulgata, et etiam signa militaria. Praeterea omnes publicarum rationum tabulae eodem loco conservabantur, ut in quibus prescripta erant triginta quinque tribus Romanae, quae nomina debitorum aerarii continebant: quae rationes rerum

ab imperatoribus bello gestarum, et magistratum in provinciis: legatorum nomina Romam advenientium: nomina et merita beneficiariorum, et alia huiusmodi; quibus excipiendis perscribendisque *quaestores aerarii* praeerant. Qui quum anno U. C. DCCIX, absente Iulio Caesare, nulli creati fuissent, eorum officium duobus aedilibus commissum fuit, et per annos fere decem septemque gestum, donec Augustus duos praetorios viros, seu praetores, substituit. Claudius rursus aerario quaestores praefecit. Nero autem praetura funtos, quamquam et aliquando quaestores.

Sub Vespasiano praetores denuo et omnino aerarium administrarunt; at Domitianus et Traianus, aliorumque imperatorum succendentium temporibus, rursus mutati sunt. Denique quaestorum aerarii nomen abolitum fuit et quilibet aerarii administrationem gessere, *praefecti aerarii* et *aerario* sunt appellati. Fuere etiam *tribuni aerarii*, qui curabant pecuniam ex aerario acceptam et quaestoribus imperatorum dandam ad expensas militares.

Haec de publico aerario capita summa.

Inter omnes constat, C. Iulium Caesarem initio civilis belli aerarium effrexisse, universasque in eo congestas divitias asportasse; ingentissimas quidem, quippe quae efformatae essent iis quae ab Africanis ex devicta Carthagine, a Mummio et Paulo ex Corintho et Macedonia, a Pompeio ex Mithridate constipata essent. Tempus hoc procul dubio I. Sciuti, Italicus pictor, revocare voluit pulcherrima ea tabula, Romae in pulchrarum artium academia asservata, qua *aerarii restorationem* effinxit, paginasque nostras nos hodie condecoramus.

COMMUNIA VITAE

Super arte de... immodice comedendo.

A clarissimo socio nostro Aloisio Fulconis accepimus et libenter edimus:

Quae in superioribus fasciculis de temperantia, quo assolet festivo sermone scripsit *Subalpinus*, non minore iucunditate, quam me, legisse vos puto; quid, si eorum quae ille affirmavit de mensis ea aetate apponi solitis, quae a renascentibus litteris audit, documenta nonnulla in medium afferam? Atque primum ex epistolis Angeli Politiani (lib. XII, 42). Legite, et iudicium de illis optimis viris feratis:

« Invitatus sum ad convivium, immo ad pontificiam et adipalem coenam. At ego ad epulas primas satur, spectator potius, quam conviva fui. Credo gratum fore vel tibi, vel posteris, si fercula quam brevissime descripsero; non ut Macrobius apud nostros, nec ut apud Graecos Athenaeus iustis voluminibus, sed ut occupatus homo, et ad epistolae mensuram. Primum aqua manibus data, non ut apud nos stantibus, sed accumbentibus, utique rosacea. Tum illati pugillares ex nucleis pineis et saccharo pastilli. Item placentae nucleis amygdalis et saccharo confectae, quos vulgo martios panes vocamus. Secundum fertum, altiles asparagi. Tertium pulpulae (ita enim popiniae appellant) et iecuseula. Quartum, caro doreadis tosta. Quintum, capitula iunicum vitulorumne, una cum pellibus elixa. Sextum, capi, gallinarum columbarumque pulli, bubuleis comitati linguis, et petasonibus ac sumine, omnibus elixis, addito lymoniaceae pultario; sic enim cupediarii Mediolanenses vocant, quam nostri sermiacam. Septimum,

hoedus integer tostus in singulas singuli capidas, cum iure quod ex amaris cerasis, sive, ut quidam malunt appellare, lauro-cerasis, condimenti vice fungitur. Octavum, turtures, perdices, phasianus, coturnices, turdi, ficedulæ, et omnino plurimi generis avitia, molliter et studiose tosta. Colymbades olivæ condimenti loco appositæ. Nonum, gallus gallinaceus, saccharo incoctus et aspergine rosacea madefactus, singulis convivis singuli patinis argenteis, et ut cetera quoque vascula. Decimus, porcellus integer tostus, in singula singuli crateria iusculento quodam liquore perfusi. Undecimum, pavi tosti; pro condimento leucopheon ius, immo ferrugineum e iocinoribus pistis et aromate pretiosi generis, ad portionem et symmetriam additum. Duodecimum, totius orbis ex ovo, lacte, salvia, polline sacchareo, salvaticum vocamus. Tertiumdecimum strathea cotonea ex saccharo. Quartumdecimum, cardus, pinea, colymon, sive cynaram potius appellare convenit. Quintumdecimum a lotis manibus, bellaria et trahemata omnis generis saccharea ».

Ex renascentibus litteris an ex renata lurconum ingluvie saeculum illud appellandum melius esset?..

Alterum eiusdem generis documentum affert Melchior de la Cerda in suo opere: *Eloquentiae campus*. Et ipse opiparum convivium describit:

« Caput autem convivii — ita ille — pro temporis brevitate varium ac multiplex est: melopeones, uvae, prodromi ficus, crustula lactis, orbiculi lactei in panem recentem tostumque interiecti et saccharo perfusi, amygdalæ nudatae folliculis cum uvis passis permixtae, butyrum Flandricum et horum similia, quae tempus anni fert, primæ habentur mensae et praeponi solent. Missus

deinde plures et diversi, varie concinati conditique: aves assae plurimæ, perdices, pulli, intriturae variae, intritæ que suavissima, capones inferti, porcelli Troiani avibus referti differentibus, pernae arietinae assae, concessæ, illarum et diversi generis carnes. Prae omnibus pavones splendentes et ad mandendum affecti: artocreatæ ex carne partim consissa, partim columbinis pullis, partim aliis avibus inferta, incrustedata, dissimili forma praedita, et in Hispania et Anglia et Flandria, carnium multarum et avium integrarum inferta. Quid dicam de eduliis aliis omnibus tanta conditionum varietate concinnatis? Quae ovorum luteis tota summitate, quasi stellis distinctæ, et in medio maxime illustres nitebant et splendebant mirifice: pernae petasonis in vino elixæ quantam suavitatem odoris exhalabant! Nihil ad convivii apparatum et magnificentiam, nihil ventres falisci, nihil caro aprugna, nihil cervina, nihil cuniculi splendoris habebant ad cibos nominatos et ad alias, qui tacentur, propter multitudinem diversitatemque comparati. Praeter mitto intrituras: perventum est ad ollam refertissimam gallinarum, vitulinæ arietinaeque carnis, petasonis pinguis, et macri, et intermixti. Quis scutulas sinapis aut petrosilinati salsa, iuscula, salsa menta commemoret ad aviditatem excitandam in ferculorum multitudinem diversitatemque tantam? Illata suo tempore quae sequuntur: videres leucophagum, similagineum, amyllum, orizam, vermiculos. Quum vero ad ultimas mensas perventum esset, nec quidquam aliud desiderari, nec afferri posset praeter fructus et placetas, et tragedia, quorum copia redundarunt mensae, ecce ante istiusmodi missus ultimos, mare misceri terrae crederes. Apposita fue-

runt ordine suo innumerabilia piscium genera, imprimis lupus cum aceto et capparibus, soleae frixa, lucii recentes, thinni assi, menae recenter frixa; crustulata denique in quibus inerant barbari, murenæ et trutæ multis conditæ aromatibus, gobii, rixi, cammari et cancri elixi. Admixtae scutellæ fuerunt cum piperato, crocato, quemadmodum ad aves superiores assas, ad pullos, perdices, cuniculos, anaticulas; intinctus seu embemmatæ, acetum, omphaicum, axiphora et ad singulos ferculorum missus, mala medica limonia satis opportune importata fuerunt. Quid dicam de mensis ultimis? Quidquid aridorum fructuum forum fructuarium; quidquid dulcedinis forum dulciarium venale habebat, in mensas ultimas importatum: cupediae, pyra, caseus, oleae Hispalenses, stribitæ, artolagana, testuacea et sartaginea, quaecumque tragemata, caryota denique, ad stomachos buccellatum, cydoniatum, coriandrum saccharo conditum. Ac ne quid deliciarum deesset, aquæ odoriferae rosaceæ, flos mali medici, moschati ad manus abluendas non abfuerunt huic convivio lautissimo magnificentissimoque. Videres etiam quae commemorata sunt fercula inferri admodum eleganter, et Aulicorum usitato more, ritu elegantiaque politissima, ritibus et caeremoniis omnibus, quibus Principes utuntur. Aderant instructores structoresque multi, prompti, agilesque administri, alacres et erecti, paratissimi, celeres et expediti, omnes tunicati et capitibus apertis. Hi fercula inferre, alii expedire mensas, tollere, occurrere, deferre, quo videbantur, ministrare inter epulas poscentibus pocula vini veterimi suavissimique ». — Haec habebam quae exhiberem; dummodo ne... stomachum vobis, qui legistis, moverim!

ANNALES

Europæum bellum.

In superiore eventuum recensione, qui inter arma per Europam agitantur, iam diximus Balkanicam regionem nunc maxime omnium animos ad sese convertere; Bulgarorum praesertim causa, occasionem nanciscentium opportunam reparandi damna ex Bucarestina pace, recens Balkanicum bellum sequuta, sibi parta. Contra Bulgarae militiae omnis delectum, cui insuper Teutones praefecti esse dietabantur, Russicum gubernium postquam frustra conquestum est, ultimam rationem seu *ultimatum* — (ita enim vulgo nuncupant) — die III. mens. Octobris iussit; insequenti autem die Angli Gallique copias suas ad Thessalonicanam eduxerunt, nullam vim opponentibus Graecis, sed tantum rem ex formula denuntiantibus. Quin imo administratorum praeses Venizelos in publico coetu legibus ferendis, suffragantibus populi legatis, declaravit tempus iam iam adesse ut et a Graeca civitate impetitis finitimus Serbis auxilium in invasores ferretur. Ecce autem, necopinato, rex huiusmodi consilii participem se esse palam negat; administratorum inde collegium a suo munere abdicat, novumque brevi suffectum expromit casum foederis, per quem Graecia Serbiae consociatae arma administret, adhuc desiderari; itaque sufficientem haud esse causam cur neutri pars huc usque servata a Graecia derelinquatur. Interim Teutones hinc, Bulgari inde Serbiam adoriantur: illi ad Bellogradum, quam pyloclastris subvertunt; hi fines ad Kniazavatz ac Vlasenam praetergressi, ut ferreis axibus stratis viis magni momenti potiantur. Bellogrado in dictionem suam redacto,

Teutones, ultra Danuvium, Saviam, Semensiam, Drinamque flumina procedentes, occupant Serbias urbes et oppida Lipe, Pozarevat, Egri Palanka, Obrenovatz, Restan Tepé, Vranja, Sabaz, Kumanovo, Veles; demum ad Orsovam perveniunt, ubi Danuvium iterum transiunt. Vi etiam deinde capiunt Kucevo et Markovaz. Bulgari vicissim Zajeciar arcem invadunt, Timok inferioris vada oppugnant, et oppida Cociana, Uskub, Negotin atque Pirot; nunciantque exercitus suos quam proxime cum Teutonibus se esse coniuncturos. Non est infitandum Serborum rem in summo discrimine versari, quamquam eorum copiae integrae adhuc in receptu videntur, suppetisque Gallorum praesertim levari posse, dextram ripam Vardar fluminis iam assequutis. Qui quidem Galli tormentis interim bellicis Dede Agac, Bulgarorum portum in Aegeo, pessumdedere, idemque de Bulgarorum litore in ponto Euxino Russi operati sunt, dum Angli Melos, Cycladum insulam, praeripiunt.

Itali, ab huius actionis directa parte sibi nunc abstinendum esse rati, verum tamen ab ea quam maximas possent Austrorum copias distrahere, vehementiorem impetum suum in Alpium regione, a Stelvii ad Cevedalis, fecerunt; nec sine favorabili exitu, licet nivales iam procellae nova obstacula addiderint. Ecquod vero impedimentum Alpinorum praesertim militum virtuti obsistat? Enigitur in nostrorum possessionem cadunt et impervium Torrionis cacumen, et elata Folgariae loca, et alii montis S. Michaelis vertices, et fastigia Ledrinae valli imminentia. Praeterea Brontonicum, Striae saxum, Melino, Setole, Nodium Pinorumque montes, Rauchkofel apex in monte Cristalli, Bezzecca oppidum, et Mrzli, praerupti iugi prope Ni-

grum montem, magnam partem. Viam denique inter Benacum lacum et Athesim omnem iam Itali tenere dici possunt; praeter Sontium autem ad mare, insigniter item progressi sunt in «parvo Javorek», ad S. Luciae et Oslavia colles, et in Carso, intra spatium dierum septem ex iis locis quinque captivorum millia et ultra deducentes.

Ut acceptarum cladi iram suam aliquo modo effunderent, Austri ignobili quidem, omnibusque, qui humanitatis sensu polleant, detestanda ratione usi sunt; velivolis nempe suis incendiarias bolides in inermes Adriaci litoris incolas iacentes. Neque Venetiarum urbi atque monumentis, cunctis nationibus, et ipsis quondam, augustis, pepercerunt: quod si inanes sacrilegi eorum conatus ad S. Marci feliciter evaserunt, non item heu! dicendum est de templo Fratrum Discalceatorum, cuius lacunar, Tiepoli, clarissimi pictoris, operibus insigne, fractum omnino atque solo aequatum est.

Iamvero ad alios belli campos deve-niamus.

Ad occidentem, Gallica offensio in Artois et Cathelauniae plagiis ulteriores successus est consequuta, frustra pari reddere in Vogesis montibus, apud Remos atque in Lotharingia, Teutonibus conantibus. Quo autem firmius, omnium partium concursu, Gallicum gubernium redderetur, novum administratorum collegium est compositum, praeside Briand, cuius viri participes facti sunt, qui alias publici negotiis praefuerunt, et ipse Viviani, qui usque ad hodiernos dies rerum summam moderatus est.

Teutones inter atque Russos, ad orientem, varia fortuna pugnatum est: dumque illi ad Dunaburg et iuxta Stryphae fluminis oras procedere videntur, a Rigae regione ad Dwinsk, cruentissimo

licet incursu, hostium septa confringere minime valent; qui imo, post navale proelium, in Curlandiam copias suas exponunt, et ad Styr flumen, in Grodni provincia atque in Galitiae passim superiores evadunt.

Inter tantam sanguinis ubique effusionem, pientissima Supremi animarum Pastoris opera iterum iterumque effulget, qui dum per orbem universum piacularia defunctorum animis indicit, a singulis bellantium principibus obtinuit ne captivi dominicis saltem diebus laboribus in posterum defatigentur.

* *

Praeter tristia haec, nihil aliud peculiari mentione dignum per orbem superiore mense occurrit, ni exceperis **mōtum in Sinis** ad instaurandam regiam potestatem: qui tamen non ita diffusus appetet, ut finem suum brevi sit assequatur.

Ex Mexicana denique **civitate** nunciatum est, Foederatos Americae Septemtrionalis Status, itemque Australis Americae gubernia, Carranza imperatoris rei publicae praefecturam recognovisse; ex quo est ominandum ut illic saltem aliqua pacis ac tranquillitatis aetas tandem oriatur.

Kalendis Novembribus MCMXV.

POPLICOLA.



VACUI TEMPORIS HORA

Mortuorum fabae.

Ut Paschatis tempore scribilitae, Nataliciis Domini diebus torundae atque amygdalae cum melle tostae, sic per Novembrem mensem, atque praesertim in Defunctorum commemoratione, mor-

tuorum fabae antiquissimo in usu sunt. Dulciariorum mensae iis frustis, fabarum tantum formam retinentibus, — sed ex amygdalinis constantibus in pulverem plus minusque crassam cum simila saccharoqua conglutinatam, — amplissime redundant, quas viri matronaeque emere festinant, felices quod liberis suis laetitia exsultantibus apponant; atque puorum ex tunicato popello fortasse incuriosi, invidis oculis cupedia illa et sibi frustra potentium. Date obolum laceris iis ac resutis puellulis, quo saltem a venditore cum carrulo per viam ambulante minimi pretii mortuorum fabas et ipsi degustent!

Usus enim fabas comedendi die vita funetis sacra universalis apparebat iamque inde ab ethnicorum tempore. Romani scilicet, Deorum Manium in festo, Erebi umbris offerre soliti erant conchium fructus, quae ex fusco colore, ex rigido inflexibilique caule iis videbantur mortis numen apprime effingere. Poëtis igitur canere licuit fabam, durabiliorem quam quemque cibum, figurate optime edicere et aeternam Erebi domum, et fauces implacabilis orci et obscuram illam sedem luctus infiniti atque terribilis.

Quum autem Christi religio successit, in anniversario defunctorum fabae invicem inter affines amicosque commutabantur, tamquam aeternae vitae symbolum; mosque ita communis factus est, tamque in vitae usu invaluit, ut in ipsis Patrum Franciscalium coenobiis, ubi singulis diebus iusculum pauperibus ministrabatur, die illa secunda mensis Novembribus fabarum ius distribueretur, accidente ad suscipiendum popularium, licet non indigentium, turba, qui eleemosynam aliquam, quasi remunerationem, in defunctorum piaculum reddebant.

Exinde facile intelligitur quomodo

mortuorum fabae a Deorum Manium aris atque a Franciscalium coenobiis ad dulciarias tabernas manaverint.

* *

Ex tempore primum dicendi argumentum hodie sumpsi, neque ab anni tempore adhuc deflectar. Autumnus, inter alia, venationi opportunam tempestatem praebet tum avium, tum ferarum; estque venatio tam in plurimorum hominum deliciis, ut maneat quoque

sub Iove frigido
Venator tenerae coniugis immemor
Seu visa est canibus cerva fidelibus
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.

Atqui de canibus qui ad hominum commoditates generati, uti Cicero scripsit, non minus in venatione homini exstant fideles, nonnulla verba hic facere placet; atque ad amussim **de cane venatico**.

Qui quidem ut maxime venatoribus probetur, celer et mediocriter robustus esse debet, quique, quum incredibili sit ad investigandum sagacitate narium, simul atque odoratus fuit praedam, latratu statim excitet, advolantem mira celeritate persecutus, neque desistat quoad sit consequutus, involet deferatque ore pendentem nulloque modo affectam ad herum. Quod si valens fuerit et robustissima fera, urgeat, premat, defatiget, donec a cursu ea desistat et venatores comprehendant occisam vel adigant in retia.

Si canem denique venaticum omnibus numeris perfectum modo videre desideras, talis est, quem Causinns descripsit: «Corpus illi procerum et validum, caput amplum, laeve, bene oculatum; lumina miti fulgore caerulea in oculis ardescant; os oblongum, et pulchra dentium pectinatim coēuntium serie bene serratum; aures modicae delicata abducantur cute; cervix protensa; robusta pectora; ampli

latique armi; oblique costarum series craticulatimque distinctae; lumbi modica carne sufferti, nec praepingues nec macilenti; crurum rectae et mollibus internodiis prolixae tibiae. Anteriores demum pedes posticis breviores; cauda gracilis et promissa ad talos usque desinat ».

* *

Singularem computationem in superiori fasciculo retuli; non ea indignam hodie exhibeo ab uno ex pervicacibus illis suppatoribus factam, qui nunquam arma deponunt, eoque magis, ut par est, hisce bellicis ubique diebus. Non equidem conjectura propius vos rei accesseritis: est enim **de terra primo Europaei belli anno in vallis effossa**.

Iuxta rationem vallorum sex, quorum profundum metr. 1,80 sit, atque productio per plura millia millium passuum extendatur, bellantes a solo extra-kerunt terrae duplum quam necesse fuit ad Panamense fretum aperiendum. Immensum hunc terrae cumulum si quis transvehere vellet, adhibenda ei forent saccorum novies millies trecenties et sexagies centena millia (936, 000, 000), qui aliis alii tribus ordinibus impositi, topiarium, ut ita dicam, opus efformarent non solum Gallicos fines a septentrionibus ad meridiem eingens, sed in Italiam quoque, usque ad Sancti Marini civitatem, protentum. Idem sacci in Hellespontum immersi, hoc opplere valerent.

Quod si in Saharam trasportarentur, desertam eam regionem omnem terrae stratura metr. 0,75 eminenti foecundarent: subsidium vero decies centum, praeter sexcenta septuaginta millia camelorum et quadringentorum nonaginta (1, 675, 490) oporteret..., neve uno plus neve minus!

O utilis, hercle, ars suppeditandi!

Iocosa.

Puer armorum ludiero certamini intentus adstat. Extemplo:

— O pater, — ait — qui ita sese exercet, rabidus fieri potest, ut epigrum ei aptare conveniat?

* *

Nummariae cuiusdam mensae praepositus societatis sua redditus ad sidera tollit, promittitque hoc anno foenus priore duplex. Tum ex iis qui audiunt quidam, sermonem eius interrumpens:

— Ecquid foeneris superiore anno sociis attribuisti?

— Nihil profecto; prima enim mensae negotia tum egimus.

Aenigmata.

I.

Res volat in silvis nigro vestita colore:
Si caput abstuleris, res erit alba nimis.

II.

Hortantes *prima*; *media* fingentes utimur omnes;
Paucis donatur *tertia*, grata licet.
Est *totum* fide vir praestans, atque inelytus

Quem plures inter Graecia prisca tulerit.
(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: I. *Vi-tellus*; II. *Lantern-a-Lana-Later*).
IOSFOR.

ROMA SACRA**Acta Benedicti XV P. M.**

Pontificiae litterae ad Felicem Card. De Hartmann, Archiepiscopum Coloniensem, et ad Episcopos qui Fuldae congregati sunt annui conventus causa; in quibus adiuncta temporis complorantur, atque Pax invocatur.

Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Fuldae, sicut vobis est in more positum, nuper congregati, litteras ad Nos deditis cum pietatis in Nos vestrae, tum testes diligentiae, qua tueri apud vos atque augere catholicam rem studetis. Laudem utramque gratulamur vobis ex animo, planeque ex ea agnoscimus ad S. Bonifacii sepulcrum quum annuos conventus habetis, in eius ita vos inspicere exempla, ut iis conformata studia vestra velitis.

In his rerum publicarum fluctibus, quorum quasi procelloso impetu perturbari ac prope convelli cernimus florentissimas Europae civitates, facile intelligitis, Fili Noster ac venerabiles Fratres, quo nos simus animo ob cotidianas tot hominum interneciones ac tot populorum calamitates, quae diu noctuque obversantur oculis. Quo graviores eadem flunt productione temporis, eo ardenteriora

apud omnes etiam Nos fieri animadvertisimus desideria pacis. Sed valde velimus communia haec vota eam apud omnes persequi viam, quae in paciente ac benigna caritate patet regia ad pacem: a qua quidem longe aberrarent, qui sibi licere arbitrarentur res gestas alterius gentis catholicorum ita carpere verbis vel scriptis, ut invicem, ut ait Apostolus, provocantes, invicem invidentes, novum ignem ad eas ipsas congerant iras, quarum faces restinguere iudicii aequitatem ac lenitate animi deberent. Quapropter dum votis omnibus pacem expetimus — atque eam quidem pacem, quae et iustitiae sit opus et populorum congruat dignitati — catholicos homines hortamur nihil ut per contentionem agentes, christianaे fraternitatis amore paci redintegranda singuli suam dent operam.

Auspex divinorum munerum Nostraenque testis benevolentiae apostolica sit benedictio, quam vobis omnibus, dilecte Fili Noster ac venerabiles Fratres, Clero populoque cuique vestrum tradito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VI m. Septembris MCMXV, Pontificatus Nostri anno secundo. — BENEDICTUS PP. XV.

FRANCISCVLI PRANDIUM (2)

mihi; cura igitur, optime ac propere dapes. Spero meminisse te missus mihi gratiosissimi; vitulinas dico aures frixas.

FRANC. — Ignis iam vivit. (Ehi miserero mihi; memoria exciderunt!)

HIPP. — Peto insuper a te maiores in modum ut pulmentum unctiusculum sit comparatum.

FRANC. — Ne timeas; haec res est ubi nervos intendam meos. Numquid aliud?

HIPP. — Stomachum meum coquinariae virtuti tuae iterum iterumque commendabo.

FRANC. — Animum tuum iuxta protestatem explebo. Vale parumper, domorum liberalissime. (*Exit*).

HIPP. — Hunc adulescentem eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo; pudore autem et liberalitate liberos retineri satius esse putans, quam metu, eum sic institui, ut illud haud inuria revocare de eo possim: Ut quisque suum vult esse, ita est. Hodie autem intra fines rerum suarum ob invitationem meam sese ultra is non continet. Atqui minime in eius mentem cecidit hodie diem nominalem meum commemorari! Si hoc animo cogitasset... Superiore anno occasionem hanc nactus, munusculo me donavit, quo tanta me struxit sollicitudine, ut profecto inter sacram et saxum posuerit. Adiuvantibus diis, oblivione sua memet isto anno a laqueo ipse extricavit, effecitque ut ego ei ne copinanti omnino vices rependerem. Ah! ah! ah! (*Haec dicens ad fenestram accessit*). Hem, mene fallit visus? Nonne

HIPP. — An iureiurando dedam fidem?

FRANC. — Si tamen quis advenerit...

HIPP. — Ecquis adveniat?.. Si id acciderit, surges et recedes.

FRANC. — Maiora quidem nunquam appetiverim! Totus ita gaudeo, ut pro certo habeam, cibum nullum me hodie degustaturum!

HIPP. — Babae, optimum invenisti cibatum, quo te reficias! Non vero idem

horsum se capessit Vincentius ille, quocum magna iam inde tot annis fuit familiaritas? Unde erutus est qui tam diu in tenebris latuit? Venerit ne gratulandi causa ob diem meum nominalem? Novum profecto antiquae necessitudinis et amplissimum praebuerit testimonium.

VINCENTHUS revera est, qui ante fores clamitat: Est ne intus Hippolytus, amicus meus?

HIPP. — (*ei occurrens*): Accedat et salvus sit Vincentius, nobis acceptissimus! Quid tu istuc insolens?

VINC. — Volupe fuit iam post bienium te convenire.

HIPP. — Bene factum te advenisse, et adeo, quod maximum est, validum atque firmum.

VINC. — Verebar ne foris esses. Euge, amplexu tuo me comprehendas.

HIPP. — Quinimo circumPLICABO. (*Certant invicem complexibus*). Quae ventorum flabra te huc subvexerunt?

VINC. — Quid processerim huc et quid mihi voluerim dicam. Num credis ex kalendario meo oblitteratum fuisse diem vigesimam secundam mensis Augusti esse beato Hippolyto sacram? Superis gratias ago modum mihi dedisse adeundi te, cui ostenderem illum ipsum semper amicum amico esse.

HIPP. — Satis iamdi spectata erga me amicitia erat tua; nunc tutissime exhibes amicum mihi in germanum modum. Optime quidem et pulcre; tantaque fidei pares gratias vix agere possum. Dicas nunc quid agas et quomodo valeas.

VINC. — Sic ut quimus, quando ut volumus non licet. Egregie, nempe, nihil; atque tamen omnia mediocriter. Apud te vero, ut facies commonstrat, rectissime omnia.

HIPP. — Corpus vere solidum et succi plenum, pancratice atque athletice valet; neque cor dolet quum scio nunc ut sum atque ut fui.

VINC. — Sexaginta iam annos natus?

HIPP. — Scilicet, viginti annos natus. Ego enim hoc temporis spatium nunquam exsuperavi; sed honoris gratia, congerminavi ac trigeminavi. Ah! ah! ah!

VINC. — Ergo aetas senilis non mala merx tibi.

HIPP. — Quinimo optima. Quamquam negare non possum interdum me laborare...

VINC. — Epiphora ne?

HIPP. — Vah!

VINC. — Dyspnoea?

HIPP. — Fi!

VINC. — Ecquo morbo igitur?

HIPP. — Ciborum cruditate!

VINC. — Per Tyrinthium, non tu es, qui angas te animi!.. Oho, pervenit ne ad aures tuas uxorem meam esse mortuam?

HIPP. — Diespiter! Idem et meae contigit.

VINC. — Veron? Ecquando?

HIPP. — Abhinc circiter menses duodeviginti.

VINC. — Mirum! Tantundem temporis est ex quo et ego in viduitate dego.

HIPP. — Ridiculum profecto caput! Mulieres illae videntur tempus et locum coeundi inter se condixisse! Ah! ah! ah!

VINC. — Certe! Certe! (*Et ipse tollit cachinnos*).

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☈ ☈

Sociis et Lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Natalis Domini, itemque novi anni, diebus adventantibus, eo maiore animi ripacis omnia robis offerimus, o Socii et Lectores, quo magis humano generi omni, plus minusve immanis belli furore exagitato, eam tam necessariam quisque nostrum vestrumque in pectore sentimus. Felix igitur illud nuntium, quod e caelis, quum Redemptor in terris natus est, hominibus fuit allatum, resonet iterum, intimiusque corda feriat, redditque, iis maxime quorum debitum est, bonam illam voluntatem, unde imperium Dei, hoc est charitatis atque humanitatis, Universo restituatur; unde oculis detur ac menti non amplius lutum et sanguinem, sed astra, ad quae nata sunt, suspicere. Huic divinae et augustae paci, a qua Iustitia disiungi non poterit, vultum servabit fortuna serenum, bonaque omnia ac fausta adiiciuntur, quae vobis nobisque enixe adpreciamur.

Quae sint proposita et consilia nostra, ut quod opus cum magna fide et alacritate suscepimus, id inconcusse ulterius exsequamur, in proximo fasciculo, qui anni tertii primus nobis erit, aperiemus. Unum vero iam inde hodie iterum iterumque repetimus, favorem vestrum, o Socii et Lectores, quo tantum fulti, vel extrema, si opus fuerit, erecto fortique animo adgredi nobis licebit. Cuius quidem gratiae erit testimonium non solum adhaesio vestra continua, sed etiam sollicitudo, per quam ad societatem nostram et alii a vobis trahantur; quemadmodum accessuros eos esse confidimus, qui specimen commentarii nostri recens acceperunt. Quorum in mentem revocare iuvat, subnotationem extraordinariam pro novis subnotatoribus ea ratione fuisse condictam, ut tum ALMAM ROMAM ipsi habituri sint a mense Novembri MCMXV ad Decembrem MCMXVI immutato annuae consociationis pretio, quod par est Italici libellis 9, si in Italia; 12, si apud exteras gentes; tum integra commentarii nostri